Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2567
Quelle:
Copyright:

detecta post haec *America* docuit. Dein haec legas: *Licet iudei magis communicent cum christianis quam machometani, tamen christiani difficilius reducere iudeos possunt quam illos, qui sunt de lege machometi — in quorum lege ihesus nazarenus tanquam dei propheta commendatur vt patet in alkorano* &c.

XV. *fol.* 139. *Henricus de Hassia de contemptu mundi.* Epistola inscripta: *Reuerendo in christo Patri ac domino. domino ekhardo episcopo wormacien. Heynricus de langenstein dictus de Hassia in medio regni pestilentie suspirans salutem et spiritum fortitudinis consolantem in aduersis.* Mortuus erat Frater *Eckhardi de Dersch*, qui ab a. 1377. ad a. 1405. praedictam Sedem tenuit, hinc *Henricus* Praesuli simul condolet, simul mortis memoriam graviter ingerit. Initium: *Audivi et conturbatum est cor meum, a voce contremuerunt labia mea. Ecce rumor infelix grandis displicentie nuncius* &c. En συμβολὴν ad Nostri Epistolas a nemine, quod sciam, memoratam.

XVI. *fol.* 143. p. 2. Trias Quaestionum theologicarum discussa: I. *Vtrum dampnati debeant pocius appetere non esse quam in miseria permanere? II. Vtrum solus deus sit adoracione latrie adorandus? III. Vtrum per indulgenciarum virtutem consequatur viator efficaciter salutem?* Accedunt *Notabilia circa materiam de iudicio finali.*

XVII. *fol.* 149. p. 2. *Istas propositiones reuocauit Parysius magister Job. de montesono ordinis fratrum predicatorum et easdem vniuersitas paryslen. aliquas tanquam hereticas aliquas tanquam male sonantes condempnauit. Ipse enim posuit eas in suis vesperiis et asseruit katholicas.* Duo hic laborant. Primum *Montesonus* fuga se proripuit, et nihil revocavit; dein Universitas in sua Censura non adhibuit τὸ *Hereticas*, ut videre est in *Hist. Univ. Bulaei* T. IV. p. 620. ubi tota haec caussa enarratur, *Propositiones*que referuntur, ut in praesenti *Codice*, in quo succedit Revocatio M. *Johannis Thome*, qui *Montesoni* ὑπεραστιστὴς fuit, facta in die Annunciationis B. V. coram populo *Parisiis* hoc initio: *Ego magister Job. Thome frater ordinis predicatorum predicaui ante 14. annos publice coram populo, quod beata virgo maculata fuit, concepta in peccato originali, et qui tenet contrarium male credit et peccat mortaliter et est hereticus. Et quod festum conceptionis marie non est celebrandum. Item* (Ista) *ego reuoco tanquam falsa et male sonancia et erronea et scandalosa presumptuosa mala et displicentia bonarum mentium et piarum aurium offensiua. Item ante 14. annos ego transtuli Ieremiam de latino in gallicum de 11. Capitulo ad 30. et impertinenter ibi tractaui unam questionem s. vtrum virgo maria fuit concepta in originali peccato* &c. Deest haec Revocatio in *Bulaeo*, qui tamen alias